



**S**igebertus filius fuit Theoberti regis Austrasie,  
 & nepos Childeberti. Hunc Theobertum eius  
 frater Theodoricus, Brunhildis auie consilio, bello  
 aggreditur, atq; uictū & fugatū Coloniae cū eius  
 sobole magna crudelitate interficit. Cum autē Theo-  
 doricus fratris sui filiam pulcherrimā uxorem duce-  
 re statuisset, Brūhildis scelere ueneno sublatus est.  
 Hoc modo regnū Austrasie Theoberti, & regnū  
 Burgundiae Theodorici, ad Clotharium regē Sues-  
 sionum peruenit, qui Francorū monarcha existens  
 rebus magna gloria diu præfuit. Supererāt autem  
 duo filij, Sigisbertus Theoberti, quem eius consan-  
 guinei clam Vuirzeburgum abduxerunt, & Mero-  
 uæus Theodorici, qui in insula lacus Podamici iuxta Richenau cōclusus fuit.  
 Cum itaq; Erpo luræ mōtis præfectus ab Aletheo Burgundo, & Leudemun-  
 do Sedunensium præfule sublatus esset, procerum quorundam intercessione  
 Clotharius hunc Sigebertum magnæ spei adolescentem ab exilio reuocauit,  
 & in Transiurana prouincia Comitem constituit, quam etiam pater Theober-  
 tus à Childeberto gubernandam susceperat, antequam Austrasiorū rex crea-  
 retur. In eo loco Sigibertus magna gloria rebus præfuit, atq; homines ad ciui-  
 liorem uitam perduxit, circa an. Christi 630. Tandē uerò moriens, suam ditio-  
 nem Sigoprechto filio per manus tradidit. P. Aemil. Laz. lib. 1. Gen. Aust.